



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De dispensatione irregularitate contracta & homicidio, & mutilatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

um habet, prout oculus v. g. est ad videndum, auris ad audiendum, manus ad palpandum &c. cuius mutilationis v. g. si quis causa sit physica, vel moralis, irregularis erit, siue iniusta causa sit, siue iusta ex auctoritate publica, ad vindictam criminum, instituta, prout de occisione dictum est, ex defectu scilicet perfectæ lenitatis, vel ex delicto mutilationis iniustæ, cum injure, quoad irregularitatem incurrendam, æquiparentur inter se homicidium & mutilatio membrorum. c. In archiepiscopatu 4. de reprobis, & Clement. uni. junct. Gloss. V. Mutilat. h. 2.

## §. II.

An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutat, vel abscindit, vel seipsum mutat, fiat irregularis?

Qui membrum aliquod inutile tantum facit ad suas functiones, lædendo v. g. illud, aut aliter vulnerando, absque membri talis abscissione, irregularis non fit, cum aliud sit membrum debilitare, & aliud abscindere, huic est posita in jure irregularitas, non autem illi, prout probari etiam potest ex can. Sicut 47. caus. 1. q. 1. quod si tamen quis abscindat membrum tale sibi, hinc & nunc inutile & plane mortuum, ac carens animâ, non fit quidem talis irregularis, cum hæc abscissio propriè mutilatio non sit, quæ dicit abscissionem membri vivi; irregularis tamen erit, si tale membrum hinc & nunc quidem inutile, & aridum, vitam tamen humanam adhuc habeat, quia verè mutat corpus huma-

num membro aliquo: quoties tamen alium mutilando fit aliquis irregularis, toties etiam fit irregularis seipsum mutilando, imò ad incurrendam irregularitatem sufficit nonnunquam sibi ipsi partem corporis etiam occultam abscidisse, uti patet ex Lib. 1. Decret. Tit. 20.

## §. III.

De dispensatione in irregularitate contracta & homicidio, & mutilatione.

Cum homicida injusto, & indirectè voluntario in irregularitate, quam propterea incurrit, nemo dispensare potest nisi Summus Pontifex, siue publicum illud sit, siue occultum, prout colligitur ex can. Miror. 4. dist. 50. junctâ Glossâ. V. Miror. & expressè statuitur in Trident. sess. 24. c. 6. de reform. & sess. 14. c. 7. de reform. nisi urgeat necessitas ad dispensandum cum occulto homicida. In irregularitate, quæ oritur ex mutilatione voluntaria & illicita, si occulta sit, probabiliter dispensare potest Episcopus, cum facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, concessa sit à Concil. Trident. Episcopis, nisi proveniat ex homicidio occulto, cum ergo verba licentiam hanc concedentia universaliter loquantur, & homicidij nomine propriè non intelligatur mutilatio, consequenter restrictio Tridentini non videtur extendenda ad mutilationem, cum verba restringentia verba odiosa strictè sint intelligenda: prout etiam probabile est, quod Episcopus dispensare possit cum homicida occulto, qui non ex proposito & directè intende-

D d d d x

ret

ret homicidium, sed in rixa lubidò contingente, irà succensus, auctorem rixæ occidit, vel homicidium commisit casuale tantùm, cùm neque hoc homicidium sub rigida acceptione homicidij voluntarij veniat; & satis probabile sit, quod etiam post Tridentinum dispensare possit Episcopus in homicidio casuali mixto (saltem ad ordines minores, & beneficium simplex) sicuti poterat de jure antiquo, quamvis publicum illud & notorium sit.

In irregularitate verò, quæ provenit ex homicidio, defensionis causa factò quidem, cum excessu tamen moderaminis inculpatae tutelæ, eoque occulto, certior sententia docet, quòd possit dispensare Episcopus, cùm Concilium tantùm excipiat homicidium directè, & simpliciter voluntarium, quale non est hoc, quod illicitum tantùm est ob excessum inculpatae tutelæ. Contra verò valde probabile est, quòd in irregularitatibus ex defectu perfectæ lenitatis provenientibus, quamvis justè, & publicâ auctoritate, & cum exercitio virtutis fiant illa homicidia, dispensare non possit Episco-

pus, cùm in Concilio non detur facultas Episcopis dispensandi in quibus irregularitatibus, sed tantùm in illis que ex delicto proveniunt, quibus non est irregularitas, quæ provenit ex defectu perfectæ lenitatis, & incurrit sine ullo delicto: neque tamen arbitrarie sententiæ suæ etiam negandi probabilitas, ita ut facillè concedatur etiam illos in irregularitate ex defectu lenitatis orta dispensare posse, quod ex privilegio conceditur postulanti dispensandi in omni irregularitate, excepta bigamiâ, & homicidio voluntario, cum homicidij voluntarij nomine, in rigore loquendo, veniat innotum, & directè intentum, nisi privilegium tantum diceret, quòd dispensare quis possit in homicidio casuali, quo in casu in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non possit, cùm homicidium tale non possit dici casuale; & universarum quædam dispensationum non facillè debent privilegiari, circa fidem notorium, aut deductum ad forum contentiosum, cùm timeri possit, equalitè, offensa ordinariorum.

### TITVLVS XIII DE TORNEAMENTIS.

**P**rohibentur in hoc Titulo, detestabiles illæ feriæ, quæ vulgò torneamenta vocantur, in quibus ex condicto convenire solent plures, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ, temerè congregari, cum magno sæpius tam

vitæ, quam animarum periculo, tam illis, qui taliter moriuntur, periculis, quidem & sacrum viaticum, si perierint superviventes, non negetur, in periculo tamen temerariæ, & periculoze ostentationis negetur illis sacra & Eccl.